

leriter arripiendam, & quod in primis ante hunc diem appetieram, diuino afflatu in suum delatam, duce perficiendum esse putavi. Vulgare non esse volumen hoc; quod à tanto Theologo fuit excultum, ego superioris temporis experientia edoctus; qui eiusdem à me impresos typis libros ab omnibus expetitos consexi; & hoc illis nec utilitate, nec excellentia postponendum esse his rationibus adductus existimaui. Quis est enim, qui nesciat his temporibus, quibus hæreses Reipublicæ Christianæ perniciosissime pullularunt, nihil utilius, nihil delectabilius, nihil postremo esse magis necessarium; quam in religione nostra libros fideliter sacras litteras interpretantes existere; qui nostros oratores informant; & erudiant; qui in templis, in maxima populi frequentia, ex superiori loco, abdita diuinorum oraculorum mysteria explicant, & nos ad honestam vitam, ad summam felicitatem, quantum possunt, vocibus contententes, accendant, & impellant? Nec puto quempiam esse, qui ambigat, si quid pristinae pietatis, & antiquæ religionis amplius in populo viget, florescitq; id omne præstantissimorum oratorum labori, industriæ, & vigilijs, proximè, & secundum Deum immortalem esse tribuendum. Utile fuit ipsis, non nego, Sacerdotibus; dum hic idem noster doctis meditationibus eorum oculos; qui coniuuentibus habuissent; ad contemplanda sanctissimæ diuinæ Missæ mysteria extulit. Forte etiam illud fuit utilius; cum iuuenes in Theologia fundamenta iacentes, difficillimis propositis, solutisque questionibus, ad res diuinas spectantibus; subtiliter, & acutè instruxit. Sed hoc longè utilissimum omnium arbitror; virum in Philosophia, & Theologia perfecte eruditum, & dicendi eximia facultate ornatum, relictis templorum occultis Adytis, & gymnasijs, in templorum celeberrima theatra; ex tenebris densissimis, in clarissimam, lucem: ex mediocri auditorum numero, in maximam hominum frequentiam prodire; nec quibusdam solum studiosis prodesse; sed oscitantes, oratione, eloquentia, actione ipsa hominum cætus ad rerum diuinarum contemplationem excitare; & inclinantes ad certissimam vitæ beatæ expectationem pie, castèq; viuendo erigere, id verò ita esse maiores nostri censuerunt; qui primas ijs, qui hoc munus in religione nostra præclarum, illustre, ac propè diuinum egregiè sustinent, omnibus temporibus detulerant. Quorum in numerum cum, & hunc nostrum aggregandum esse; & te plurimum his pro tua prudentia tribuere exploratum haberem; speraui; si huiusce doctissimi viri eruditæ expositiones, & tuo patrocínio commendatas, & diligenter typis excussas edendas curarem; te studium, & gratam animi mei voluntatem; si fortè tua Amplitudine non dignam; saltem tempori peropportunam, & exercitationi nostræ accomodatam; perspicuè esse cogniturum. Mihi etiam hæc animo versanti persuasi;

hos